

Sint gratia exempli decem homines, & patet quod possent esse singuli, & hoc decem modis, quia sunt decem, vt Petrus & Ioannes: item, possunt esse omnes simul, & hoc vno modo tantum, & possunt esse duo, & hoc potest variari quadraginta quinque modis: & possunt esse octo, & manifestum est, quod totidem modis variantur, scilicet quadraginta quinque, nam cum erunt octo, duo qui relinquuntur, variari possunt 45. modis, ergo & illi octo ad vnguem totidem modis. Et similiter tres quot modis variantur tot modis septem, & quot modis quatuor tot sex: quinque autem quia sunt dimidium decem, pluribus modis variantur. Et idè pro ordine huius detrahes vnum, vt sint vndecem viri donec decem, si decem pones nouem, & colliges naturalem seriem numerorum, vt infra vides vno semper termino deficientes: & ex priore ordine, vbi videbis semper etiam duplicari numeros vt 3. 6. inde sub 6. 10. & 20. à latere, & sub 20. 35. & à latere 70.

1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11
1	1	1	1	1	1	1	1	1	1	1
2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	
3	6	10	15	21	28	36	45	55		
4	10	20	35	56	84	120	165			
5	15	35	70	126	210	330				
6	21	56	126	252	462					
7	28	84	210	462						
8	36	120	330							
9	45	165								
10	55									
11										

duplum 35. & sub 70. 126. & à latere 252. & hoc pro cognitione quod rectè sic operatus. Secundò animaduertes sequentes ordines fieri ex recta linea priorum, velut sextus ordo est 7. 28. 84. 210. 462. ita incipiendo in primo ordine à 7. & tendendo ad dextram, inuenies illos eosdem numeros ad vnguem, & ita in septimo ordine 8. 36. 120. 330. à sinistra inuenio 8. in primo ordine, & procedendo ad dextram, inuenies 36. 120. & 330. Tertium est quod numeri vltimi à medio sunt iidem, vt 462. & 462. 330. & 330. 165. & 165. 55. & 55. 11. & 11. Et seorsum, vt dixi, remanet 1. Oportet igitur colligere numeros angulares, vt à latere vides, & fit 2047. numerus coniugationum, tot enim modis possunt variari. Et si essent decem tantum, vt ab initio proposui, primus ordo finitur ad 10. secundus ad 45. tertius ad 120. quartus ad 210. quintus ad 252. sextus redit ad 210. septimus ad 120. octauus ad 45. nonus ad 10. decimus ad 1. Et ita colligeretur summa ex extremis numeris angularibus 1023. Et tot erunt coniugationes. Hic vides quia numerus 10. est par, & quod adempta monade, relinquitur 9. qui est impar quòd medius qui pertinet ad quintum ordinem est maximus, & est 252. & est coniugatio quinarij: hoc volui dixisse, vt intelligeres rationes colligendi singulos ordines seorsum. Quod ergo attinet ad collectionem maximi numeri, primus ordo

Tom. IV.

seruit semper vltimo relinquendo monadem, & secundus penultimo, & tertius antepenultimo, & ita de aliis. nam si secundus variatur 55. modis, & penultimus variabitur 55. modis. Et si tertius variatur 165. modis, antepenultimus variatur 165. modis. Et ita de aliis.

Hæc autem ratio satisfacit multum, & est necessaria temperiebus corporis humani. Vt in secundo, De dentibus. Et etiam vt quælibet disciplina quàm breuissimè tradi possit, vt gratia exempli, medicina tota in vna pagina, dico medicina non solum Græcorum, sed etiam Arabum & Latinorum, & etiam longè plus: nam si tradatur vigintiquatuor regulis simplicibus, & ex illis fiant coniugationes 16777 215. manifestum est quod erunt regulæ omnes hæ multo plures, quàm contineantur in omnibus libris Græcorum, & Arabum, & Latinorum, qui extant. Et tamen perspicuum est, vigintiquatuor regulas vna pagina commodissimè cõtineri Et hoc aliàs docui, quàm credam me errasse in supputatione, nam locum inuenire non potui. Vnum est id certum, quòd hæc ratio quàm nunc explicabo, est vera & demonstratiua, & facillima.

Cum enim superior sit vera & demonstratiua, non est tamen facilis, & præcipuè in magnis numeris. Et idè inueni hanc, quæ (vt dixi) facillima est: adde numero proposito monadem, inde constari inuenias numerum à monade in eodem ordine, & ab eo deducta monade habes numerum coniugationum. Exemplum, si sint 10. adde 1 fit 11. Vndecimus ergo numerus in proportione dupla est 1024. detrahe 1. & relinquuntur 1023. numerus coniugationum vt in priore supputatione. Item si sint 11. numeri adde 1. 12. duodecimus ergo numerus in proportione dupla est 2048. detrahe 1. relinquuntur 2047. coniugationes 11. vt prius in supra scripto exemplo. Et ita pro vigintiquatuor regulis adde 1. fit 25. vigesimus quintus igitur numerus in ordine duplæ proportionis à monade est 16777216. ergo deducta monade relinquitur numerus (vt dixi) regularum & coniugationum vigintiquatuor regularum, quæ tamen non sint contrariæ inuicem: nam tunc essent pauciores. Et quia in istis numeris duplicandis posses facile incidere in errorem, diuide vltimum per 16. & si nihil superest, rectè processit opus: si autem aliquid supersit, aberasti. Vt autè habeas numeros singulorum ordinum, in quauis multitudine, deducito numerum ordinis à primo, & diuide per numerum ordinis ipsius reliquum, & illud quod prouenit, ducito in numerum maximum præcedentis ordinis, & habebis numerum quæsitum. Velut si sint vndecim, volo scire breuiter numeros, qui sunt ex variatiõne

11
55
165
330
462
462
330
165
55
11
1
2047
10
45
120
210
252
210
120
45
10
1
1023
1
2
3
4
8
16
32
64
128
256
512
1024
2048
4096
8192

AAa 3